

illis consulerem, ut prius, antequam hoc Compendium aggrederentur, priora tria aut quatuor Capita Matthæi addiscerent, & juxta Grammaticam atque Clavem Græcam Nov. Test. resolverent. Illis ergo lectis & quasi memoriæ mandatis, læto animo hoc Compendium aggredere; & videbis Te facillime omnes voces Nov. Test. in hoc Compendio & in nova editione T. Græci annotatas, quæ sunt *quater mille nongentæ & quinquaginta sex*, spatio sex hebdomadarum, si sæpius relegas, addiscere posse.

Absoluto & lecto semel aut bis hoc Compendio, aggredere ipsum Nov. Test. Græcum, in eoque lege hos integros versiculos, quorum partes jam didicisti: & ut a molestia illos versiculos annotandi te liberarem, edidi anno 1675. hic Ultrajecti, sumpt. *Anthonii a Smytegeld vel Henrici Boom*, Nov. Test. Græcum in 24. in quo hi versiculi asteriscis a cæteris sunt distincti. Tandem lectis his perambula cum summa jucunditate ipsum Nov. Test.